



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens Quæstiones à XXVII. vsque ad LXIV. & à Quæstione CVI.
vsque ad CXIV.

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1620

Dispvt. CXCI. An plures Angeli simul in eodem loco esse possint.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81000](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81000)

parte aliqua determinata orbis: ita S. Thom. in hoc art. Bonaventura in 2. dist. 2. 2. parte art. 2. q. 2. ad 2. Scotus quest. 3. 8. Præterea tertio, & Philosophi communiter: incredibile namque videtur, in toto cœlo Angelum esse: quia si totum cœlum adequatus locus Angeli esset, cum Angelus ille, qui mouet sit ex inferiori ordine: Archangeli, qui mittuntur & alij Angeli superiores maius spatium aut locum sibi adequatum postulerent, quare esse possent in cœlo, & in terra simul contra doctrinam Damasceni traditam supra disputatione 190. cap. 3. Maior namque longitudo, & latitudo est totius cœli, quam est inter cœlum, & terram. Difficile tamen est explicari, quomodo Angelus, si est in determinata parte cœli, fixus permaneat, neque cum ea moveatur, multo autem difficilius secundum opinionem eorum, qui affirmant, Angelum esse in loco per operationem, nam præterquam quod, ut supra dicebamus, potius esset in toto cœlo æque primo, quam in parte determinata, adhuc difficile explicaretur, quo pacto Angelus esset in aliqua parte, in qua continuo virtutem, & motum imprimeret, & cum ea non moueretur. Dicimus itaque, ratione illius modi additi substantiæ suæ, vni corpori, ne ipsum in toto orbe collocemus, operari tamen in toto orbe, sed non imprimendo aliquem influxum per vnam partem, nec hoc esse operari in distant & remotum, sine medio; non enim repugnat, Angelum in loco, in quo est, continuo per longum intervallum operari. Verum necessario videtur dicendum, Angelum continuo, & successiue mutare in se modum illum, ratione cuius vnitur corpori, ut fixus maneat transeuntibus nihilominus partibus cœli successiue, quibus in eadem quantitate, quatuor, aut quinque palmorum verbi gratia, continuo & successiue respondet, vel ad partem nostri orientis, vel alibi: quemadmodum si Angelus esset in parte aliqua alicuius fluminis, & continuo partes aquæ succederent, ut eis continuo & successiue vniatur quiescens, deberet in se successiue modum mutare: quod circa subest Angelo modus, quo successiue continuo corpori adit, & quo permanenter in eo locetur: id quod in disp. de motu Angelorum magis elucidabitur.

ARTICVLVS III.

Utrum plures Angeli possint esse simul in eodem loco.

Ad tertium sic proceditur. Videtur, quod plures angeli possint simul esse in eodem loco. Plura enim corpora non possunt esse simul in eodem loco: quia replent locum. Sed Angeli non replent locum, quia solum corpus replet locum ut non sit vacuum, ut patet per Philosophum in 4. Physic. Ergo plures Angeli possunt esse in eodem loco.

2. Præterea. Plus differt Angelus & corpus, quam duo angeli. Sed angelus & corpus sunt simul in eodem loco: quia nullus locus est, qui non sit plenus sensibili corpore: ut probatur in 4. Physicorum. Ergo

Ubi quæritur in 1. p. rem. 2.

multo magis duo angeli possunt esse in eodem loco.

3. Præterea. Anima est in qualibet parte corporis, secundum Augustinum: sed demones licet non illabantur mentibus, illabuntur tamen interdum corporibus. Et sic anima & demon sunt in eodem loco. Ergo eadem ratione quæcunque alia spiritalia substantia.

Sed contra, duæ animæ non sunt in eodem corpore. Ergo par ratione, neque duo angeli in eodem loco.

Respondeo dicendum, quod duo angeli non sunt simul in eodem loco. Erratio huius est: quia impossibile est quod duæ causæ completæ sint immediatæ vnius & eiusdem rei. Quod patet in omni genere causarum. Vna enim est forma proxima vnius rei, & vnum est proximum mouens: licet possint esse plures motus remoti. Nec habet instantiam de pluribus trahentibus nauem. Quia nullus eorum est perfectus motor cum virtus vniuscuiusque sit insufficiens ad mouendum. Sed omnes simul sunt in loco vnius motoris, in quantum omnes virtutes eorum aggregantur ad vnum motum faciendum. Vnde cum Angelus dicatur esse in loco per hoc, quod virtus eius immediate contingit locum per modum continentis perfecti, ut dictum est: non potest esse nisi vnus angelus in vno loco.

Ad primum ergo dicendum, quod plures angelos esse in vno loco, non impeditur propter impletionem loci, sed propter aliam causam, ut dictum est.

Ad secundum dicendum, quod angelus & corpus non eodem modo sunt in loco. Vnde ratio non sequitur.

Ad tertium dicendum, quod nec etiam demon & anima comparantur ad corpus secundum eandem habitudinem causæ, cum anima sit forma, non autem demon. Vnde ratio non sequitur.

CONCLVSIO est, Non potest nisi vnus Angelus esse in vno & eodem loco: hanc conclusionem ipse deducit ex suo fundamento, videlicet quia Angelus non est in loco, eo quod virtus eius locum contingit. Vtrumque tamen sequi disputationem examinandum est.

DISPUT. CXCVII.

An plures Angeli simul in eodem loco esse possint.

Plures Angelos non posse esse in eodem loco, etiam non adequato, Bonaventura & alij dixerunt. cap. 1.

Refellitur præcedens sententia cap. 2.

Plures Angelos in eodem loco adequato esse non posse, docuerunt Thomista. cap. 3.

Verior sententia est, plures Angelos posse esse in eodem loco. cap. 4.

Plures Angelos non posse esse in eodem loco, etiam adæquato, Bonauentura & alij dixerunt.

VARIANT etiam Doctores in hac questione imo multi in eandem sententiam varijs rationibus adducuntur. Primum quidem nonnulli affirmant, plures Angelos esse non posse in eodem loco propria virtute. Vt autem eorum rationes indicant, loquuntur de loco etiam non adæquato. Ita sentiunt Bonau. in 2. dist. 2. part. 2. art. 2. q. 4. Ricard. in 1. distinctione 37. artic. 2. quest. 4. Aegidius in eadem dist. part. 2. art. 1. quest. 3. in qua sententia fuisse videntur S. Thom. in hoc articulo, & Capreol. in 2. dist. 2. quest. 2. art. 1. conclus. 3. & Bassolis quest. 4. art. 4. hic enim auctor solum concedit, esse posse omnipotentia Dei absoluta. Probat primo Bonau. hac ratione. Cum Angelus sit pars quedam vniuersi, ac proinde in toto debeat aliquem ordinem habere, necesse est, naturaliter vnumquemque Angelum in suo loco peculiari constitui: nam si in eodem quomodocunque plures essent, ordinem perturbaretur. Patetur autem, ex parte Angelum non esse repugnantiam, quia vnus non ita occupat locum, vt sua substantia impedimento sit alteri, sicut est vnum corpus alteri corpori: neque ex parte loci, cum enim locus non indigeat Angeli presentia, nihil ex parte loci obstat, quo minus plures in se Angelos recipiat: totam ergo repugnantiam esse putat ex parte ordinis, quam seruare debent in toto vniuerso, quem arbitratu virtute ipsius Angeli tolli non posse.

Secundo probat Ricardus, quia quæ sunt in eodem loco, necessario se penetrant, sicut si duo corpora essent: ergo si duo Angeli essent in eodem loco se mutuo penetrarent: supponit autem Ricardus vt notum, duos Angelos non posse se penetrare. Tertio arguit Aegidius, Quoties plura cum aliquo vno eodem modo comparantur, non possunt simul in eo esse. sicut duæ formæ in eadem materia: quia eodem modo ad eam se habent, simul esse non possunt: at vero Angelum, & animam in eodem corpore, corpus & Angelum in eodem loco simul esse non repugnat, quia diuerso modo materiam: aut locum respiciunt: sed duo Angeli eodem modo cum loco comparantur: ergo simul in eodem esse nequeunt. Hæc omnes rationes de loco etiam non adæquato contendunt probare, vt satis compertum est: atque idcirco dixi, hos auctores plane sentire, plures Angelos non posse esse in eodem loco, etiam non adæquato.

CAPVT II.

Refellitur præcedens sententia.

HÆC sententia meo iudicio scriptura, & ratione refelli potest, vt cap. 3. aperte monstrabo: nunc autem his sit ostendere, infirmas esse rationes horum doctorum, quo etiam falsitatem doctrinæ ipsorum aliquo modo indicabimus. Prima ratio Bonau. solum probat, Angelum cum toto vniuerso aliquem ordinem habere, non sit & loco, sed secundum suam substantiam, & naturam: hic autem non tolleretur, etiam si plures Angeli in eodem loco collocarentur: ordo autem secundum locum solum attenditur in corporibus, quæ sua quantitate necessario diuersa loca debent occupare.

Secunda ratio Ricardi nihil habet momenti. Est autem supposita doctrina communis Scholasticorum qui asserunt, vnam substantiam eam non posse esse intra aliam per illapsum, sed solum secundum præsentiam, sicut in loco: ita docent Magist. in 2. dist. 2. Henricus in secundum dist. 9. quest. 1. art. 2. ad secundam rationem principalem Bonau. in secundum dist. 8. part. 2. art. 1. q. 2. in corpore, & ad secundum dist. 8. part. 2. art. 1. q. 2. in corpore, & ad secundum dist. 7. q. 1. art. 2. & Ferrar. in 2. contra gent. cap. 18. in fine. Vt enim aliqua substantia dicatur esse in alia per illapsum, opus est, vt prædicti Doctores notant, esse in ea ratione constitutionis substantiæ illius: atqui vna substantia creata nequit aliam conferuare: ergo neque est in ea per illapsum, sed per solum præsentiam loci. Cumque vnus Angelus non possit esse locus alterius (locus enim sumitur secundum situm) nec possit illabi, quia non conseruat substantiam eius, consequitur, nullo modo vnum Angelum in alio esse posse. Deus autem, quæ sua est omnipotentia, cum omnia conseruet nuda voluntatis suæ, in omnibus rebus; etiam spiritualibus, ita est, vt substantiæ earum illabatur. Est autem doctrina Augustini libro de Ecclesiasticis dogmatibus cap. 83. vbi ita scribit: *Dæmones per energiam operationum non dimis substantialem illabi animæ, sed operationem, & impressionem vniuersi; illabi autem menti, sibi illi possunt esse creati.* Quibus verbis concedit, Angelum animæ vniri, seu coniungi, quia simul cū illa in eodem corpore est: non tamen esse intra animam, quia illi non potest illabi. Idem clarissime dixit Beda in illud Act. 5. *Ananiam tentauit.* & cum ait, mentem, & animam hominis à nulla creatura intra substantiam eius existente posse impleri, nisi à tota Trinitate. Refertur quoque solet Fulgent. de fide ad Petrum cap. 3. inquit enim, *Insistit tamen singula (scilicet Angelus) naturalis terminus, quo à se mutuo discernuntur; quia nullus eorum in alio est. Id tamen dicitur, quia putauit, Angelos corporales esse, tamen corpora eorum ex elementis non essent: ita quæ etiam sententia videtur fuisse August. quæ nimirum non est, si etiam loco citato dixerit, Angelos substantiæ animæ illabi non posse. Ceterum, cum intra corpus humanum esse concedat, illa peculiari ratione iam explicata intra animas esse negauit. Bene video librum de Ecclesiasticis dogmatibus non August. sed Gennadii à multis adscribi.*

Nunc ergo quam parum probet ratio Ricardi sic ostendo. Quamuis verum sit, vnum Angelum non posse esse intra substantiam alterius Angeli: oppositum tamen non sequitur, etiam si dicamus plures Angelos esse in eodem corpore simul: sicut enim potest esse Angelus simul cum anima rationali in eodem corpore, non tamen intra illam: sic etiam erit cum alio Angelo, non tamen intra illum: vna enim substantia nequit esse in alia nisi per illapsum substantialem, aut tanquam in loco: priori modo solus Deus esse potest, vt diximus posteriori autem modo Angelus solum potest esse in substantia corporea, quæ habet situm: intra alium autem Angelum esse nequit, sed cum illo simul in eodem corpore. Ex eo autem quod simul sint duo Angeli in eodem corpore, non fit vt se mutuo debeant penetrare, & substantialem alter alteri illabi: alioqui & animæ rationali illaberetur Angelus, dum est in corpore atque in corpore.

contra anima arripit ipsi Angelo: quod est absurdum: male igitur colligit Ricardus.

Tertia quoque ratio Agid. non minus infirma est; nam licet aliqua nequeant esse in eodem loco eodem modo, sicut duæ formæ in eadem materia, aut duo corpora quanta intra eandem superficiem: contra vero aliqua possunt esse diuerso modo, ut Angelus, & anima intra idem corpus: hinc tamen non fit, ut aliqua duo eodem modo intra idem corpus esse nequeant: ex particulari namque uniuersale colligi non debet. Quod si Agid. assumat in sua ratione uniuersalem propositionem, nempe nunquam duo, vel plura esse posse in eodem loco eodem modo, assumit id, quod est probandum. Præterea ex illis particularibus non licet à simili colligere, id quod contendit: nam duæ formæ in eadem materia ideo esse non possunt, quia non sola loci præsentia adsunt, sed effectum formalem materiæ tribuunt, vnus autem effectus cum altero natura sua pugnat: Deinde duo corpora ideo esse nequeunt intra eandem superficiem, non quia eodem modo sunt, sed quia ita vnum quodque eorum est, ut occupet spatium illius quantitate sua: id autem quod semel occupatum, & repletum est, alio corpore repleri non potest: at Angelus ita est in corpore, ut nullum effectum formalem illi tribuat, sed sola præsentia adsit, neque sua substantia repleat, aut occupet spatium: ergo nihil obstat, quo minus sit cum alio Angelo intra ambitum eiusdem corporis: aut assignetur aliquid aliud, quod impedimento esse possit. Quod si esse diuerso modo, sufficeret, ut aliqua posset esse simul, sequeretur in eadem materia posse esse simul duas quantitates penetratas, alteram informantem materiam, alteram solum præsentem: quia diuerso modo tunc essent: at hoc est impossibile: ergo parum refert, eodem aut diuerso modo esse, ut aliqua simul esse possint, si aliunde aliquid obstat: sicut contra, esse modo nihil obstat, si aliunde impedimentum non sit: hoc ipsum capit. 4. magis confirmabitur, ubi etiam rationem S. Thom. Capreoli examinabimus.

CAPVT III.

Plures Angelos in eodem loco adæquato esse non posse, docuerunt Thomistæ.

¶ Vm S. Thomas in hoc articulo. definiat, non posse plures Angelos esse in eodem loco, Thomistæ communiter intelligunt eius sententiam de loco adæquato, fatenturque nihil repugnare, in eodem loco non adæquato plures Angelos esse. Sic Caietanus in commentario huius articuli. & Ferrar. 3. contragent. capit. 68. §. secundum dubij. Appellat vero locum non adæquatum, qui non respondet toti virtuti operanti: cum enim hi constituent Angelum in loco per operationem, aut per virtutis applicationem ad operandum, recte dicunt, illum esse adæquatum, in quo Angelus tota virtute sua operatione constituitur; illum autem non adæquatum, in quo virtute sua operante solum ex parte locatur, nam si duo Angeli moueant, idem corpus, cum quisque non adæquat, quare ad motum concurrat, erunt in eo corpore, ut in loco non adæquato. Fatentur nihilominus S. Thomam locutum de loco etiam non adæquato, & negasse, plures Angelos in eodem loco, etiam non adæquato, esse posse, id enim ratio

eius manifeste indicat, non quia id potentia, & virtuti Angelorum repugnet, sed, ut, ait Ferrar. quod superuacaneum videatur, plures Angelos mitti, cum vnus solus sufficiat; aut, ut Caietanus explicat, quia physice, & ut plurimum id non contingit. Ceterum, ut Caietanus explicet, quo pacto suapte natura repugnet, plures Angelos esse in eodem loco adæquato, notat primo, id non esse intelligendum de potentia absolute Dei; sic enim nullus negat, esse posse. Secundo intelligendum esse iuxta virtutem Angeli naturalem, quia naturaliter non potest idem effectus esse à duabus causis, quas vocant totales; tamen si fieri possit virtute Dei, & potentia eius absoluta, ut duæ causæ creatæ totales ad eundem effectum totaliter quoque concurrant: Si ergo Deus sinat, Angelum virtute sua naturali à se solo in loco constitui, non poterit simul esse cum alio in loco vtrique adæquato: bene tamen in loco non adæquato. Addit tamen tertio posse duos Angelos virtute sua naturali, nihil Deo supplente esse in eodem loco vtrique adæquato, non formaliter, sed materialiter: inquit materialiter, hoc est, in eodem corpore quantitatis, & molis adæquatæ virtuti vtriusque. At vero formaliter, ratione eiusdem operationis, & fundamentis: ac si dicat, possent duo Angeli esse in eadem corporis mole vtrique adæquata per modum loci. non ratione eiusdem, sed diuersarum operationum; ut si vnus, inquit, moueret secundum locum, alius autem illuminaret. Conuenit cum Caietano Ferrar. in hoc tertio puncto, nam de primo nihil dicit; in secundo vero contrariæ sententiæ est, quæ dicit ad præsens institutum nihil refert: tunc enim difficultas est de existentia in loco ex propria Angeli virtute, Deo solum concurrente, iuxta id, quod ipsa suapte natura postulat. An vero idem effectus possit esse à duabus causis totalibus, 3. parte, quæst. 3. artic. 6. contra eundem Caietanum differendum.

Hæc sententia sic explicata mihi non probatur. Primum non placet, quod asserit, superfluum esse, plures Angelos esse in eodem loco physice, & ut plurimum id non accidere; cum constet nobis, intra eundem hominem frequenter esse plures demones, sicut Luc. erat legio: quod nec superfluum nec rarum & inconuenienter iudicari debet. Neque enim dicendum est, singulos demones in singulis partibus corporis esse, præsertim cum demones illius legionis in partibus minimis esse deberent: sed neque id esse impossibile, ratio sancti Thomæ conuincit, ut capit. sequ. videbimus. Deinde id, quod docent Caietanus & Ferrar. de loco materiali, & formali, mihi non placet. Nam si semel concedant, duos Angelos posse esse in eodem corpore adæquato, etiam si non sint ratione eiusdem operationis, nihilominus dicendi sunt esse in eodem loco formali adæquato: ad rationem namque formale loci non spectat fundamentum in eo existendi, quod est operatio: sed locus Angeli materialis est latitudo ipsa, & longitudo corporis; eius autem ratio formalis est respectus distantie ad puncta fixa: sicut locus materialis corporum est superficies, & respectus ille est formalis ratio illius: quare si idem corpus adæquatè responderet duobus Angelis, dicerentur absolute esse in eodem loco adæquato.

Verior sententia est, plures Angelos posse esse in eodem loco.

10.
Scotus.
Gabriel.
Gregor.
Marfil.
Idaior.
Ocam.
Caietan.
Ferrariens.

Luce 8.
Ric. de S.
Victore.

EGo sane existimo, plures Angelos simul in eodem loco esse posse. Ita absolute docent Scotus in 2. dist. 2. quest. 8. Gabr. q. 2. art. 3. dubio 3. Gregor. quest. 3. Marfil. in 2. quest. 2. artic. 2. concl. 8. Maior. quest. 10. Ocam quodlibet 1. quest. 4. & quidem si de loco non adequato sermo sit, nobiscum conueniunt Caietan. & Ferrariens, quatenus affirmant, id non repugnare virtuti Angeli, sed aut superuacaneum id esse, aut rarum. Ego tamen non cum illis, & aliis non allegatis, id non repugnare, sed neque superuacaneum, neque rarum esse. Hanc autem sententiam mihi non suadeo solum, quia nullam videam ex illa sequi contradictionem; id enim mihi non sufficeret, ut eam sine dubio alleuerarem; sed quia etiam in Scriptura id plane continetur Luce illo 8. ex quo loco Ricardus de S. Victore 4. lib. de Trinitate cap. 25. colligit, Angelos non esse corporeos, quia simul in eodem loco esse possunt: videmus etiam frequenter in arreptitiis plures demones esse: ergo satis est, ut alteramus, plures in eodem loco esse posse. Rationes autem allatae in primo capite de loco non adequato, nihil probant, ut capite secundo vidimus. Ratio etiam sancti Thomae, quae eodem spectare videtur, efficax non est: cum enim constituat Angelum in loco per operationem transfuentem, vel per applicationem virtutis ad operandum, arguit in hunc modum, vnius effectus vna tantum causa esse potest, ut pater in omni genere causae: (loquitur autem de proxima causa) cum ergo applicatio virtutis constituat Angelum in loco, quae non potest esse nisi ab vno, sit, ut in vno loco vnus Angelus dumtaxat esse possit: nam sit interdum accidit, eundem effectum esse à pluribus causis, ut in trahētibz nāuim apparet, id solum contingit ex imperfectione mouentium, quorum virtus mutuo iuuari potest: quasi dicat, id Angelis nequaquam conuenire, quia perfecti motores sunt. Verum hæc ratio non obstat, quominus etiam si Angelus sit per operationem transeuntem in loco, plures in eodem simul, saltem non adequato, locati queant. Primum quidem, quia perfectioni Angeli non repugnat, ab alio Angelo ad aliquem effectum iuuari: & hac ratione videmus, in eodem humano corpore plures demones aliquando esse, ut magis torqueant. Tum etiam, potest vnus Angelus mouere corpus motu recto, alij autem circulari: non autem repugnat in eodem corpore esse ratione diuersarum operationum. Dico autem diuersas operationes, non quia, ut putat Caietan. alter Angelus possit moueri secundum locum, alter illuminare: nullam enim qualitatem Angelus imprimere potest: sed quia diuersis modis secundum locum diuersi Angeli idem corpus mouere possunt. Ad hæc, multo facilius probatur, duos Angelos posse esse in eodem loco, ex modo, quo diximus, Angelum in loco constitui: cum enim sit per modum quendam additum substantiæ suæ, ratione cuius corpori proxime vultur secundum præsentiam substantiæ suæ, nihil obstat, quo minus duo in eodem corpore esse possint. Sicut enim simul est Angelus cum anima in

eodem corpore, nec se inuicem impediunt: simul etiam vnus Angelus cum alio esse poterit. Quod enim dicebat Aegidius, animam & demone polle in eodem corpore existere, quia diuerso modo in eo sunt, friuolum esse, iam ostendit 2. capite, ideo namque anima præsentia sua non impedit Angeli præsentiam, non quia ipsa informet corpus, non autem Angelus, sed quia sua substantia, quod sit spiritualis non replet, neque occupat, sicut quantitas, & ita sinit alium spiritum esse simul, sed hoc idem habet vnus Angelus respectu alterius, ergo bene potest cum illo in eodem corpore esse. Hactenus absolute solum probauit, duos Angelos in eodem corpore & loco existere posse, nihil de adequato loco definit, de hoc autem dico, posse quidem esse in eodem loco vnicuique adequato, nisi obstat inæqualitas virtutis ex parte ipsorum. hoc est, aliunde minime repugnat, siue dicamus per operationem, siue dicamus esse per modum illius substantiæ. Quod si omnes sunt inæquales virtute ad operandum, & constitutendum se in loco, hactenus duo esse non poterunt in eodem loco vnicuique adequato, ut satis manifestum est.

QVÆSTIO LIII.

De motu locali Angelorum.

Consequenter considerandum est de motu locali Angelorum. Et circa hoc queruntur tria.

ARTICVLVS I.

Utrum Angelus possit moueri localiter.

AD primum sic proceditur. Videtur, quod Angelus non possit moueri localiter. Ut enim probat Philosophus in 6. Phys. nullum imparitibile mouetur: quia dum aliquid est in termino à quo non mouetur nec etiam dum est in termino ad quem, sed tunc mutatum est. Vnde relinquitur, quod omne quod mouetur, dum mouetur partim est in termino à quo, & partim in termino ad quem. Sed angelus est imparitibilis. Ergo angelus non potest moueri localiter.

2. Præterea. Motus est actus imperfectus ut dicitur in 3. Phys. sed angelus beatus non est imperfectus. Ergo Angelus beatus non mouetur localiter.

3. Præterea. Motus non est nisi propter indigentiam. Sed sanctorum angelorum nulla est indigentia. Ergo sancti angeli localiter non mouentur.

Sed contra, eiusdem rationis est angelum beatum moueri, & animam beatam moueri. Sed necesse est dicere animam beatam localiter moueri: cum sit articulus fidei, quod Christus secundum animam descendit ad inferos. Ergo angelus beatus mouetur localiter.

Respon-